



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 189. Divisio Regnorum Borealium

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

§. CLXXXIX.

Sæcul. XV.
A.C. 1448.*Divisio Regnorum Borealium.*

Septentrionis Regna, quæ hucusque unius Regis imperio parebant, diversis Principibus in spoliū cesserunt. Mortuo enim ad initium hujus anni Christophoro tunc Danorum, Suecorum, & Norvegiarum Rege, iidem Sueci ceterorum Regnorum unionem pertæsi, proprium sibi Regem cooptarunt Carolum Canutum, qui ex antiquis Gothorum Regibus originem ducebat. Hic jam prioribus temporibus Sueciæ Regni gubernacula cum summa æquitatis, ac prudentiæ laude tenuit, fuitque præter profundam eruditionem Divitiarum abundantia longe clarissimus. Dani vero, & Norvegi Regem salutarunt Christianum seu Christiernum Aldenburgi Comitem, Adolpho Duce Sleswicensi avunculo ejus oblata sibi regna constanter recusante. Haud multo post inter utrumque Regem exarsit bellum de possessione Goslandiæ Insulæ, quam adhuc tenebat Ericus antiquus ille trium Regnorum Rex, factumque demum, ut secedente Erico in Pomeraniam anno proximo, Gotlandia Danis cederet. Tandem postquam Carolus octavo ex post anno regno pulsus fuerat, Christiernus in ejus locum Rex salutatus est.

§. CXC.